c

10.

A. T. S.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
MAGIA

QUAM

Permissu Ampliss. ordinis Philosophici in Regiâ ac florentissima Upsaliensi Academiâ

SUB MODERAMINE

Celeberrimi Viri

DN. CLAUDII ARRHENII

Hist. Prof. Publici & Ordinarii, nec non Regii Historiographi.

Ad experiendas ingenii vires examinandam proponit

Sæ. Ræ. Mtis. Stipend.

ANDREAS TORSELIUS
SUDERM.

In audit. Gust. majore die Anni Dionysiani 1679.
3 Junii

HOLMIÆ.

Excudit NICOLAUS WANKIF
S. Reg. Maj. Typogr.

S:æ R:æ M:tis

REGNIQVE SVECIÆ SENATORI

LIVONICI EXERCITUS SUPREMO DUCI

GENERALI GUBERNATORI LIVONIÆ ET RIGÆ

UT ET

JUDICI PROVINCIALI VERMELANDIÆ

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO, DOMINO

Christer Horn/

LIBERO BARONI

DE

Åminne/

DOMINO

DE

Wijkhuus/ Gammalboo/ Orrlijna/ Lisiöö/ Wijk & Giörelsdaal.

PATRONO SUO MAGNO.

Excellentissime Domine, Mecænas ac Patrone Gratiosissime!

DIu dubitaveram, num has studiorum meorum primitias Illustrissimo Excellentiæ Tuæ nomini inscriberem. Varia quippe augusti muneris tui negotia, quibus Patriæ nostræ causa totus es districtus, nihil ferè temporis ad inspiciendos hujusmodi conatus prorsus exiles tibi, Excellentissime Domine, reliqui faciunt. Præsertim verò tua ingenii vis, quæ nihil nisi quod comtè ornateque scriptum est amat, non admittere videbatur, ut Illustrissimum T.ª Excell.tiæ nomen huic impolito Scripto præfigerem. Attamen incomparabilis T.ª Excell.tiæ benignitas in Parentes meos affatim declarata, ut & singularis in omneis Musarum

Sectatores favor unicè impulerunt, ut intrepidus hunc qualemcunque ingenii juvenilis fœtum, summâ tamen quâ par est animi submissione, ad pedes tuos deponere auderem. Ut igitur Tua Illustrissima Excellentia hoc tenue exiguumque diligentiæ juvenilis specimen, tanquam debitæ gratitudinis devotique officii tesseram benigno placidoque vultu aspiciat, & favoris radios in me quoque derivet, submisse oro. Numen illud Omnipotens te, Excellentissime Domine, non modo incolumitate vitaque Nestoreâ beet, sed & virtutibus Heroë dignis Generosissimum tuum pectus ornet, in sui nominis gloriam, Patriæ nostræ fulcimentum, tuæque splendidissimæ familiæ commodum ac decus perenne, quod ex animo vovet

Illustrissimæ Tuæ Excell.tiæ

Observantissimus Cliens

A. Torselius

CAPUT PRIMUM.

Origo vocis Magiæ. Æquivocatio. Synonymia. Divisio & Definitio Magiæ.

§. I.

EX quo tempore Persæ suos Sapientes Magos vocarunt, Magia pro illorum Sapientum Scientia & Disciplina usurpari cæpit; & quum sic vocabulum Magiæ originem ducat a Magis, ideo me non temerè facturum existimo, si vocem Magi, quo ad natales suos paucis considerem, ut sic res, de qua hic agere constitui, facilius omnibus innotescat. Quippe *Origo vocis*, ut loquitur Becman in opere suo de Origine latinæ linguæ, *est index naturæ, h. e. proprietatis & finis, ad quem res ordinata est. Et nulla est Disciplina, qua non ad expediundas dubitationes aliquando ab Etymologiâ consilium petat & opem.* Pag. 113.

§. II. Magi vocem deducunt Vossius & Becmannus ab Ebræo מְהֹגִים Mahgim, quod Sapientes, Meditabundos, in rerum cognitione occupatos denotat, à radice הָגָה hagah, quod est animo volvere seu meditari. Nam Magi apud priscos Persas Sapientes fuere Viri, qui Philosophiæ studiis & mysteriis divinis toti incumbebant. Alii originem Magi quærunt a vocabulo מָעֹז quod est robur siquidem Magus alios omneis doctrina, virtute & dignitate superarit. Nec desunt, qui Magum a Græca voce μέγας oriri putent, quum magna virtute, auctoritate & dignitate aliis præstiterit. Ita Simonem Magum variarum hæresium, parentem se μέγαν appellasse ex Actorum cap. 8. v. 9. colligitur: sed hæc verius loquendo allusio ad rem est, quam genuina vocabuli originatio. Prima proinde derivatio

vatio vocis Magi ab Ebræo מְחַגִים haud dubiè doctis arridebit præ reliquis, siquidem appositissima esse deprehenditur.

§. III. Non uno eodemque modo vocabulum Magiæ apud scriptores usurpatum legitur. Quippe quidam per hanc vocem intelligunt **Naturalem** illam Magiam, quæ nihil aliud est, quam accuratior in hac mortalitate rerum divinarum & humanarum notitia. Hanc Magiam, sive exquisitiorem rerum divinarum & humanarum cognitionem, puta qualem Homo post lapsum consequi potest, bona ex parte habebant Veteres Philosophi, Pythagoras, Socrates, Plato, Empedocles, septem Sapientes Græciæ, aliique plurimi, quam sibi indefatigabili studio, multis peregrinationibus, ac experientia longa, quæ rerum Magistra ab erudito orbe dicitur, compararunt. Persarum quoque Magi hac excelluerunt, qui Sapientiæ studiis, & rerum divinarum ac humanarum notitia cæteris Persis ornamento erant, ut apud Gallos Druidæ, Bardi & Semnothei, apud Indos Gymnosophistæ & Brachmanæ, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Italos Hetrusci Haruspices, apud Siculos Galeotæ, apud Babylonios & Assyrios Chaldæi, apud Cabalistas Prophetæ, apud Latinos Sapientes. Hi Persarum Magi, teste Brissonio in egregio tractatu de Regio Persarum Principatu, sua disciplina Persarum Reges, antequam ad fastigium Regium ascendere possent, imbuebant: Regibus postmodum a consiliis fuere, quorum nutu ac svasu non tantum privatas suas, verum etiam publicas res gerere debebant: publica ac privata Sacra administrabant: de prodigiis ac ostentis a plebe consulebantur; futura prædixere; illorum consiliis & vaticiniis cuncta negotia gerebantur, & proinde in auctoritate & honore apud Persas fuisse, rectissime statuunt Scriptores. Imo hac Magia ornatos fuisse Mosen, Josephum, Salomonem & tres Magos, qui ex Oriente ductu stellæ mirabilis, Christum recens natum, adorandi suaque dona ei offerendi causa advenerant, Auctores, quorum scripta vidi, asserere non dubitant.

§. IV. Alii denique Scriptores Magiæ vocem ad **Dæmoniacam artem** restringunt, quæ auxilio Dæmonis a Superstitiosis Hominibus perfici creditur. Hac Magia (cujus ars Christianis invisa est, sed non statim nomen eliminandum) instructi fuere

Abbas Magus videns, promittit Cæsari, se in medium producturum defunctam, si ejus Majestati ita placeret, ut ejus consvetudine frueretur. Annuit Imperator, itur in conclave quoddam remotius, adjunctis tertio. Magus, ne quis verbum præsente spectro proferret interdicit. Ingreditur spectrum pedetentim, Imperator miratus omnium membrorum convenientiam, recordatur verrucæ in cervice conjugis, sed & ea quoq; observanti apparuit. Horruit tandem Imperator, & spectrum removeri nutu Mago mandat, & cum indignatione ait: Monache, talibus in posterum abstinere jubeo, addens etiam quam difficulter lingvam cohibuerit & vocem compresserit, quæ si erupisset, de vita tanti Imperatoris actum fuisset. Idem hic Trithemius, Maximiliano prædicto Alexandrum M. & Julium Cæsarem evocatos ostendit, ut Imperator eorum staturam, usitatas vestes, arma & lineamenta oris cognosceret. Hæc autem Magiæ species, præter id quod omnes pii eam detestantur, non absq; summo periculo peragi creditur. Quippe Dæmon in assumta mortui forma surgens (defuncti enim a Magis excitari nequeunt, ut infra dicetur) haud raro Magum vel Incantatricem statim ex hac vita subducit, ut vestigia ejus amplius non exstent. Accedit & hoc, quod is, qui ex nimia anxietate noscere avet res occultas aut futuras, vel videre solum staturam mortuorum, sana ratione privetur.

§. IV. Quum metuerent homines intempesta nocte adire sepulchra, & facere ut manes seu umbræ defunctorum surgerent, ex quibus occultas aut futuras res rescivscerent, ideo Dæmon, qui nihil inexpertum omittit, quod ad propagandum Regnum suum conducit, aliam fraudem excogitare promtus fuit: introduxit enim θεομαντείαν, qua vaticinantes furore correpti, Diaboli (quem Deum multi olim putarunt) inspiratione, futura prædixere. Quidam putant hac Magiæ specie olim inclaruisse Sibyllas Prophetissas, quæ multa vaticinia etiam de Christi adventu, nativitate & persona, de Deo Unitrino & similibus fidei Christianæ capitibus edidisse, vulgo credebantur. Quin & libros octo conscripsisse putantur etiamnum superstites, quos supposititios esse recte judicat magnus ille Casaubonus atque alii Eruditi. Sibyllis hisce non incommode accenseri dixeris Pythias virgines, quæ fuerunt Sacerdotes Apollinis, præfectæ Oraculo ejus Delphis quondam celebratissimo. Quippe sicut Dæmon Sibyllas aliosq; vaticinantes homines in furorem agebat, antequam vaticinarentur, sic etiam has Phœbades occupavit: nam quando in specu Apollinis

recitandis carminibus vacabant, atque in eadem specu somnum capiebant, Diabolus corpus illarum ingressus eò ipsas adegit, ut de rebus quæsitis sequenti luce darent responsa, quæ plerumque amphibola fuere. Vid. Del-rio Disq. Mag. lib. 4. cap. 2. Q. 3. Sect. 2. Godelm. de Mag. lib. 1. cap. 4.

§. V. **Cristallomantia** est Ars Dæmoniaca, qua Magi in cristallis a Diabolo obsessis quæsitas res per figuras & imagines repræsentatas cernunt. De hac ita Del-rio disq. Mag. lib. 4. cap. 2. pag. 603. *Quendam Norimbergæ Anno* 1530. *ferunt in cristallo vidisse thesauros a Dæmone ostentatos; quos cum postea quodam ante urbem loco effosso quæreret, adhibito familiari uno spectatore, & jam in specu arcam vidissent, atque ad eam cubantem nigrum canem, Magus specum ingreditur arcam aperturus, canemque abacturus, sed Cerberi offam secum non attulerat. Itaque ille culmen speluncæ quassavit, & miserum ruina obruit, qua & specus terra oppleta fuit.* Hoc diabolicæ artis fuit prœmium, quod miserum ac avidum illum hominem mansit.

§. VI. Cristallomantiæ non usque adeo dissimilis est **Catoptromantia**, quæ in speculis expolitis quæsitarum rerum species per Dæmonem ostensas Mago sistit.

§. VII. **Dactylomantia**, est quæ ex annulis juxta certas Cœli posituras factis, & ab Archimago obsessis, arcana cognoscere docet. Gygem ferunt habuisse talem annulum, per quem cognoscere potuit, Regnum Candaulis ad se transiturum, modo ipsum ad mandatum conjugis ejus prius obtruncasset. Quomodo Gyges hunc accepit annulum vid. Plato lib. 2. de Republ.

§. VIII. **Gastromantiam** quod attinet, sicco pede præterire non libuit, quam si Godelmanno credimus, hoc pacto veteres, quibus in usu fuit, peregisse putabantur. Verba Godelmanni lib. 1. cap. 5. hæc sunt. *Statuebantur vasa vitrea rotunda aquis conferta limpidissimis, & circumcollocabantur accensi cerei, cumq; evocatio Dæmonis occulto murmure absoluta, & quæstio recitata esset, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accuratè diligenterque intueretur ac circumspiceret, rogansq; impetraret responsa: ea tandem imaginibus, quæ per tersam politamque speculorum superficem, ex aquis, quadam* διαχλάσει *refulgebant, Diabolus exprimebat.* Sed alii aliter hanc speciem describunt.

§. IX. Leca

§. IX. **Lecanomantia** priori speciei valdè affinis hoc pacto expediebatur: Superstitiosi homines in pelvim aqua repletam injiciebant aureas vel argenteas laminas, vel etiam lapillos pretiosos, certis signatos notis seu figuris: & prolatis solitis verbis, per quæ Diabolus accersebatur, proposuerunt quæstionem: tum primum quidem sonum exilem absque ulla voce percipere potuerunt (hoc fuit enim signum Diaboli ingredientis in aquam) dein vocem tenuem audiebant, qua voce ad interrogata respondit Dæmon. Hanc Magiæ speciem Chaldæis, Ægyptiis & Assyriis in deliciis fuisse auctor est Godelm. de Mag. lib. 1. cap. 5. pag. 45.

§. X. Succedit jam **Hydromantia**, quæ præcipuè hoc modo peragi censebatur. Cyatho aqua referto annulum filo illigatum ex digito in aquam projiciebant, & sic pronunciatis certis verbis quæsitæ rei declarationem vel confirmationem postularunt: si verum fuit quod proponebatur, statim annulus sua sponte constitutis ictibus scyphum percussit. Ad eundem modum quidam in patria nostra superstitiosi homines, in commissi furti detectionem, hanc adhibent superstitionem. Aqua implere solent ingens vas, quod diligenter inspicere tenetur Magus: si jam quocunque nominato species ejus in aquis a Dæmone ostenditur, tum illum furti reum peragunt. Verum enim verò sæpe tales superstitiosi homines furti notam etiam a culpa vacuis inurunt, quippe cum Diabolus ipse verum ignorat, haud difficulter eos decipit: & si vel maximè verum sciret, tamen sæpe numero ingentem capit voluptatem, ubi homines innoxios exitio devovent Magi. Historiolam a Godelmanno de Mag. lib. 1. cap. 5. de quodam innocente suspenso traditam adscribere placuit. *Novi quendam*, inquit, *cum ab Ariolo indicatus, quasi gemmam pretiosam in ædibus cujusdam fuisset furatus, suspensus fuit: & post dies non ita multos, gemmam amissam ancillæ in cubiculo invenerunt.*

§. XI. Exponenda jam venit **Coscinomantia** quæ a veteribus sic usurpata legitur. Forfici imponebatur cribrum, & dein forficem duobus tantum digitis contrectarunt & elevarunt, & prolatis certis verbis recensebant nomina furti aut alterius occulti facinoris suspectorum: illum verò furti aut alterius sceleris reum arguunt, si cribrum enumerato eo vel convertitur, vel ad minimum

movetur. Recentiores eundem ferè ritum in hoc divinandi modo observant, nisi quod in cribrum quoque imponant pectinem, librum Psalmorum & annulum argenteum. Fraudem autem sæpissime subesse huic divinandi speciei deprehendi facile potest, siquidem is qui binis digitis tenet forficem, pro lubitu suo cribrum ad se movendum compellere potest. Similis Coscinomantiæ est **Axinomantia** quam ita perficiunt. Rotundo palo infigunt securim, & dein ordine recensent nomina eorum, quos furti vel alterius mali facinoris suspectos habent: & quocunque appellato securis movetur eum criminis reum esse, pro certo credunt.

§. XII. **Pyromantia**, quæ aliis πυρ͂οσκοπίας nomine venit, breviter etiam delineanda erit, quam binis modis Antiquiores administrasse testis est Del-rio, cujus verba subscribere integrum mihi esse judico. *Aliquando tadæ pice illita accendebantur & certis characteribus signabantur, & si flamma tadarum in unum coibat, prosperum, si lambens & divisa comparebat, infelicem, si tricuspis assurgebat, gloriosum eventum, si variè dispersa, in ægro mortem, in sano morbum, si crepitans, infortunium, si subito exstincta, ingens periculum ominabantur.* Hic unus fuit modus, sequitur jam alter. *Aliquando hostiam in ignem conjiciebant, & duntaxat considerabatur flamma ignis victimarii, utrum in unam coiret pyramidem, quod prosperum; an verò divideretur, quod adversum: quis ignis color, splendor, ascensus, strepitus: an cito victimam comprehenderet, an exstingveretur, & similia.* Disq. Mag. lib. 4. cap. 2. pag. 609. Huc non incommodè referas Capnomantiam, quæ fit ex fumo aræ: ex cujus fumi motu futura cognoscere credebantur Magi. De hac Capnomantia videatur Del-rio disq. Mag. lib. 4. cap. 2. pag. 610.

§. XIII. Non præter rem esse existimo, si quarundam passim muliercularum errorem prorsus crassum ac detestabilem detego. Quippe ægrotante quopiam, liquefacere solent plumbũ, quod postquam liquefactum est, in frigidam aquam confestim conjiciunt: si jam ex hoc plumbo in aquam misso repræsentatur species mortui cadaveris, sperant morbo detentum non multo post imponere clausulam vitæ: si autem ex hoc plumbo formatur vivi alicujus animalis effigies, ægrotum pristinam recuperare salutem certo certius sibi persvadent. Hæc plumbi liquefactio sapit commercium, si non

expressum

expressum tamen tacitum, cum Diabolo, licet ii, qui ad vulgi opinionem abeunt, dicant esse laboriosam quandam humanam industriam.

§. XIV. Transitum jam facio ad **Ornitomantiam** (hæc Augurium aliis dicitur) veteribus & præsertim antiquis Romanis receptam, quam hoc pacto absolvebant. Ex volatu Alitum, majorum avium puta Aquilarum, corvorum vel similium, rerum inchoandarum successum prosperum aut infelicem prædixere Augures. Sic quum Alexander M. occupatus in obsidione urbis Gazæ sacra faceret, prætervolavit corvus, ex cujus ungvibus gleba dimissa Regis capiti incidit, & sic resoluta est, quam rem Aristander dixit urbis quidem excidium portendere, cœterum periculum fore, ne Rex ea die vulnus acciperet, ut tradit Curtius lib. 4. cap. 6. Videatur de Remi & Romuli augurio Livius lib. 1. cap. 6. Conf. Curt. lib. 4 cap. 7. n. 15. & lib. 4. cap. 15. n. 26. Præterea ex cantu vel garritu Oscinum, puta Noctuarum, Bubonum vel cornicum Romani aliique superstitiosi populi augurabantur. Sic ubi quispiam audit Noctuam edere clamores intempesta nocte, oppidò vicini cujusdam mortem præsagit. Similiter audientes gallinarum cantus nocturnos, aliquid diri imminere asserere nulli dubitant. Quin & ex pastu pullorum auspicia sumebantur. Habebant enim Augures caveis inclusos binos vel trinos pullos, quibus è caveis demissis, dum auspicium rei gerendæ captare vellent, cibum peculiarem objecere: si pulli cibum edere nollent, res sinistrè cedere credebatur, si verò avidè cibum devorarent, ut cibi offa terram peteret (unde solistimum tripudium dicitur) auspicium bonum censebatur. Vide Curt. lib. 4. cap. 8. n. 6. De hoc Augurio ita Cicero lib. 9. Epist. 28. ad Famil. *Non igitur ex alitis involatu, nec è cantu sinistro Oscinis, ut in nostra disciplina est, nec è tripudiis solistimis aut soniviis tibi auguror, &c.* Huc referas auspicia sumta ex quadrupedibus, ut ex Equorum hinnitu, de quo Tacitus lib. de moribus Germanorum. Justinus lib. 1. cap. 10.

§. XV. **Haruspicinam** multis quoque populis in deliciis fuisse, Eruditi, qui sacra sapientiæ suæ non semper recondunt, affatim monstrant. Quippe ubi potentes Heroës, in quorum gratiam Haruspicina primariò institui solet, de rebus futuris, & non-

nunquam de bellis suscipiendis aut omittendis quid scire avent, harusрicibus suis imperant, ut lecta animalia, ex quorum extis futura nunciabunt, mactent. Sic Magnus ille Alexander, ut latentium rerum eventus perspectos sibi faceret, jussit Aristandrum pecudes cædere, ex quarum extis & fibris rerum exitum declararet. Verba Curtii lib. 7. cap. 7. hæc sunt. *Itaque qui* (Alexander) *post Darium victum hariolos & Vates consulere desierat, rursus ad superstitionem humanarum Mentium ludibria revolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare eventum rerum sacrificiis jussit. Mos erat haruspicibus exta sine Rege spectare, & quæ portenderentur, referre.*

§. XVI. Non planè prætereundum est, quomodo Archimagus per sortes ad sui cultum homines trahat: persvadet enim illis posse futura ope sortium prædici. Sortium autem genera tria esse, utpote divinum, politicum & divinatorium monumenta Scriptorum ostendunt. Duo priora sobriè adhibita licita sunt, posterius verò, siquidem diabolicum redolet artificium, prorsus abominandum & propterea illicitum censetur. Hoc ultimum sortiendi genus, Astragalomantiam, Stichiomantiam & Chiromantiam superstitiosam sub se complectitur. *Astragalomantia* teste Godelmanno de Mag. lib. 1. cap. 9. *fit per talorum jactus, & ex numero oblato sumitur, cum de re numerata, velut de numero Maritorum, uxorum, liberorum, villarum, aliarumque rerum quæritur: aut cum numerus jactus comparatur elogio. Libri enim ejusmodi elogiorum sunt omnibus de rebus & negotiis conscripti, ex quibus cuilibet assignatus est suus & situs taxillorum & numerus quomodocunque cadentium, qui cui elogio respondere deprehenditur, id vaticinium ac responsum ad quæstionem propositam esse demonstrant.* Hæc ille. Stichiomantia fit aperto libro alicujus Poëtæ insignis, & observato illo versu, qui inspicienti primum occurrit. Sic Socrates, si Del-rio verum perhibet, dicitur prædixisse diem obitus sui. Similiter quoque Claudius de posteritate sua inquirens, hunc Vergilii versum sibi primum obvium habuit lib. 1. Æneid.

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Chiromantia fit, quando Veratrices, potius mendaciloquæ dicendæ, quæ hominibus credulis nugas & fumos vendere sæpius solent, ex lineamentis manuum nonnunquam etiam aliorum membrorum, divinant. Tales sunt nostri Lappones, qui ob exiguam stipem fa-

tentur

tentur se posse, inspectis manibus alicujus, denunciare res futuras, velut illi in consilio haberent felicitarem aut infortunium alicujus. Huc spectant Genethliaci, qui non dubitant affirmare se novisse fata cujusvis, de quibus consule Godelm. de Mag. lib. 1. cap. 9.

§ XVII. **Spiritus familiares**, ut eos leviter tangam, sunt ipsi Dæmones, cum quibus multi mortalium ad certum præstitutum tempus fœdus inivere, ut ab iis in quavis re in qua diabolicam implorant opem, adjuventur. Acquirunt autem sibi hos Spiritus familiares (ita dictos, quod vel in familia sint, vel quod familiariter cum hominibus vivant) ob animi, corporis & fortunæ bona, ut Freud. deMag. Q. 52. pulchrè observavit. Quippe multi sibi doctrinam, fortitudinem, copiam cibi potusque absque ullo labore, magnos honores, arcanarum rerum notitiam magnasque divitias talium spirituum familiaritate perniciosa compararunt. Solent verò hi spiritus sub Canis, felis, simiæ, muscæ, formicæ, araneæ, grylli vel alterius fædi animalis forma præsto esse hominibus. Nonnunquam etiam hi spiritus, teste Freudio de Mag. Q. 52. se in annulo vel alia re portabili circumferri patiuntur, quasi eo modo inclusi ab hominibus ad servitia promti essent, quum tamen rè vera sic includi nequeant.

§. XVIII. In multorum hominum domibus & villis præsentes esse solent Lares domestici, **Tämtgubbar** Sveticè dicti, qui ad certum tempus hominibus officia præstare putantur Solent enim hi Lares sibi fidem habentibus, magnam copiam frumenti (quod tamen aliis surripiunt) adportare, Equos instar fidorum adsiduorumque stabulariorum ita curare, ut nitere videantur, aliaque negotia plurima, Herculi vix tolerabilia, expedire. Hi Lares domestici, qui sic a stabulis hominibus sunt, iisque inserviunt finguntur a quibusdam non nisi unum oculum enormis magnitudinis habere, eaque esse statura, qua parvi Senes gaudent, quum tamen Diabolus, ubi ipsi volupe fuerit, aliam assumere staturam & formam potis sit. Sciendum interim est homines superstitiosos solere apponere hisce Laribus Cerevisiam & cibaria opiparè apparata, quasi illi spiritus necessum habeant suum ad tempus assumtum corpus cibo potuque refocillare; imo certas ædes aut ædium partes ipsis desi-

gnant, in quibus lectum sternunt, pavimentumque verrunt, ut dignum præstent execrabilibus hospitibus diversorium; pluris esse offendere hos Lares quam Deum stulte sceleratеque putant impii; ideoque semper sordes evitabunt, ubi tales Lares commorabuntur, si vero sordes aliaque excrementa data opera projiciunt in loca, quæ his sunt vice hospitii, fieri solet ut vindictam ab eis sumant satis sævam, vel eos penitus deserant, & bona furtim eò perlata palam rursus auferant. Multi sanè habentes Lares domesticos & spiritus familiáres sanctiores videri volunt, quam ut ullum cum Dæmone habeant commercium, sed pallient rem quomodocunq; velint, si scapham dicere scapham volumus, tales utuntur ministerio Dæmonum, qui Dominis pactam haud dubiè reddent mercedem exitiabili cum fœnore.

§. XVIIII. Superest ut de Magiæ speciebus longè perniciosissimis **Incantatione** & **Veneficio** paucis agatur. Est autem Incantamentum Dæmoniaca ars, qua Magi, sanctis Dei verbis vel impiis Diaboli vocibus prolatis, vel etiam aliis rebus & characteribus usurpatis, serpentes ut impunè tangantur, homines ut coitum non habeant, vocem hominum ne clament, arma ne noceant, molendina ne ullo impulsu circumrotentur, naves ne portu egrediantur, Canes ne latrent, aves ne volent, & id genus alia incantare atque ligare creduntur. Incantationis Exemplum Wierus de præst. Dæm. lib 2. cap. 4. §. 14. adducit tale. *Salzburgi incantator jactabat se omnes in vicinia ad milliare serpentes posse in unam perducere foveam & interimere. Quod cum tentaret, tandem antiquus & ingens proserpit serpens, quem cum carmine in foveam compellere niteretur, ille exiliens incantatorem medium velut cingulum amplectitur, tractumque in foveam enecat.*

§ XX. **Veneficium** est actio magica, qua Magi & Sagæ (per Sagas non intelligo melancholicas, quæ frustra sibi persvadent hanc vel illam malam rem se fecisse, sed quæ re vera pessimum hoc exercent opificium) ope Diaboli & permittente Deo, adhibitis nefariis carminibus, malis imprecationibus, aliisque rebus & pharmacis in hos usus præparatis, hominum pecudumque saluti & vitæ nocent. Sic quidam Punkerus maleficus in castro Lendenbrunnen obsessis non parum nocuit, siquidem quamplurimos ex iis

intere-

interemit, ut habet Spreng. Mall. Malef. part. 2. pag. 368. Non vero hominibus pecudibusque solum, sed etiam aliis rebus in usum hominum conditis damnum inferre solent Venefici, ut infra demonstrabitur. Plures Magiæ species, quæ minus frequenter usurpatæ fuerunt apud Veteres, recenseri possent, sed ut tempori ac instituto meo obsequar, de industria eas omitto. Si quis eas cognoscere volet adeat, Del-rio disq. Mag. Wierumde præst. Dæm. Bodinum de Dæmonomania, Rhemigium de Dæm. aliosque

Caput Tertium.

Auctor Magiæ principalis est Dæmon. Instrumentalis Homo. Primus hominum quis? Non mera vetula: sæpius tn. mulieres quam viri exercent Magiam. Permisso Dei requiritur ut quid ab his fieri queat.

Objectum Magiæ primarium. Secundarium. Materia Magiæ. Nulla vis inest magicæ materiæ. Fœdus. Duplex. Rumpi potest: Finis Magiæ respectu Diaboli, respectu etiam Hominis.

§. I.

Homines abusi arbitrii libertate, carnisque sequentes corrupta desideria, multa committunt peccata, quorum causa Efficiens directè dici nequit Satanas, ast ad Magiam illicitam facinus sanè execrabile & dirum ferri non potuissent facilè, nisi habuissent quempiam Magistrum instigatoremque improbum. Diabolus ergo, qui Princeps Mundi & Aëris in S. Scriptura vocatur, absque omni dubio Magiæ hujus Causa Efficiens Principalis existit. Is enim mille atibus & dolis id operam dat, ut hominum saluti temporariæ æternæque insidietur: imo, ut homimines a veri Dei cultu abductos, æterni ignis supplicio ac cruciatui, cui ipse dudum adjudicatus est, tradat, summa ope nititur.

§ II. Veluti faber ferrarius malleo destitutus ferrum cudere nequit, ita etiam Dæmon non commodè potest in actum de-

ducere ea quæ vult absque certo organo, juxta tritum

Non audet stygius Pluto temtare, quod audet
Effrænis monachus, plenaque fraudis anus.

Et hanc ob causam hominem suis fraudibus apprimè idoneum sibi libens associat, quo in Magia diabolica exercenda pro causa Instrumentali utatur. Observandum tamen est Magum non esse Instrumentum tale, quod merè passivè se habet, sicut malleus, dolabra vel securis, sed quod actu ipso voluntatem & membra sua actibus commodat sceleratissimis, ut rectè sentit Froman de fascinat lib. 3. pag. 479.

§. III. Varios variæ sortis ac status homines magica spurcitie fuisse inquinatos historiæ ac experientia nos erudiunt; de primo autem inventore hujus immanis dirique criminis Auctores abeunt in varias sententias, quas omneis conciliare fuerit perarduum. Celebres satis Scriptores existimant Noachi filium Chamum, ante & post Cataclysmum Magiam exercuisse, primumque ejus inventorem fuisse: Alii rursus Magiæ inventionem ad Jobethum & Tholuscobum Lamechi filiios referre non ambigunt, in quam sententiam discedit Methodius apud Freudium de Mag. Q. 9. n. 1. citatus. Sed quicquid sit, improbabile non est Magiam diabolicam ante & post terræ inundationem viguisse: & forte a Chamo, quem Zoroastrem posteri ejus nominarunt, in ipso diluvio servata & postmodum propagata fuit, quum is nequam pariter & improbus fuerit homo.

§. IV. Bene multos ex mortalium numero Magiam exercuisse, & etiamnum hodie exercere in propatulo sanè est: verum meras vetulas esse, quas Dæmon ad magicum flagitium allicit, cum Cl. Freudio contra Wierum non injustè negari potest, siquidem multos Viros non tantum in Ecclesiastico, verum etiam in politico & Oeconomico statu constitutos Archimagi desiderio pravo morem gessisse apud Scriptores graves non ambiguè legitur. Sic omneis Rom. Pontifices, qui Mares fuere (excipe tamen unam fœminam, quæ pontificatum gessit) a Sivelstro II. usque ad Gregorium VII. Magos fuisse, magni nominis Auctoribus persvasum est. Vide sis Freud. de Mag. Q. 16.

§. V. Utut virorum & fœminarum ingens cohors sit, quæ se Dæmoni dedidit, non tamen æquè multos Viros atque Mulie-

res

res Magiam exercuisse vel exercere non absurde credi potest. Mulieres certè ob judicii & experientiæ defectum Dæmonum fraudibus citius adsentiuntur quam Viri, ideoq; facilius a Diabolo ad Magiam exercendam seducuntur. Unde Chrysostomus ornamentum sui seculi, quem Freudius de Mag. citat Q. 18. n. 2. dicit *mulierum proprium esse decipi*: Et post paulo ita. *Sexus mulierum incautus & mollis est. Incautus, quia non omnia, quæ videt aut audit, cum sapientia & ratione considerat: mollis autem, quia facilè flectitur de malo ad bonum, vel de bono ad malum.* Hactenus ille. Præterea quando iram in alios homines concipiunt fæminæ, animoque vindictam meditantur, exardescunt vehementius ob sexus infirmitatem, quam ut iram concoquere possint, quod tamen cordati Viri plerumq; facere norunt: ideo ut naturæ suæ sequiori satisfaciant, facilius Dæmonis solatium auxiliumq; acceptant quam Mares, & sic se ejus dolis oppidò exponunt. Accedit & hoc, quod mulieres novarum ac occultarum rerum avidiores sint Viris, unde facilius se a Diabolo, qui ipsas varias res edocet, ad Magiam seduci patiuntur. Et has ob causas non absurdè colligi potest plures fæminas quam Viros his malis artibus deditas.

§. VI. Causa sine qua non Magiæ illicitæ haud dubiè est Permissio divina. Hac enim destituti Diabolus & Clientes ejus nihil quidquam efficere valent, teste S. Scriptura. Proinde ut operari possint, necessum est Deum concurrere ad actionem magicam, non quidem impellendo Magum Sagamve ad tale horrendum facinus, sed saltim sustentando vires eorum, ut possint huic actioni improbæ vitiosæq; incumbere. Quin & Deus permittit Sagis & Magis indulgere huic sceleri, dum non retrahit eos a tali facinore, linquens eos libertati Arbitrii & diritati impostoris, postquam sanctissimos ejus monitus præfractè jam cœperant spernere. Verum quamquam Deus permittit Spiritui malo nec non magis sic in homines aliasque creaturas grassari, nihilominus tamen permissioni suæ ut & illorum pravis desideriis & factis modum præfigit certum, & ex tali permissa re mala bonum novit finem elicere. Fusius de permissione Dei justa sanctaque nostri agunt Theologi, in quorum fœcundam messem falcem meam immittere hic non sustineo. Huc facit Canon hic a Freudio de Mag. pag. 41. adductus. *A seipso Diabolus nocendi voluntatem habet, sed a Domino potestatem. Facit quod potest permittente Deo, quod potest non facit prohibente Deo.*

§. VII. Objectum, quod satis commodè Materia circa quam dici potest, strictim referre, ratio ordinis jubet. Est autem id πρῶτον seu primarium, & δεύτερον seu secundarium. Ad primarium Magiæ Objectum refero hominem quo ad ambas sui partes Essentiales, Animam nempe & corpus. Sciendum interim est Animam, pro ut ratione entitatis suæ consideratur, non esse substratam magicis actionibus, quippe quæ longè excellentior est, quam ut fascinationi sit obnoxia; sed ratione facultatum suarum, Intellectus scil & Voluntatis consideratam, haud rarò magicarum actionum vim experiri, quod fit cum Intellectus errori obnoxius judicat rem ita se habere, quum tn. revera aliter sit, unde voluntas perturbatur & suo modo errat. Rectè proinde concluditur Animam non ratione Essentiæ, sed ratione officii, ut est forma hominis informans, magicis operationibus esse obnoxiam. Corpus Magiæ etiam objectum esse, vel ex hoc manifestum est, quod Magi non rarò in corpus hominis morbos atroces immittant, qua de re in sequentibus.

§. VIII. Ad secundarium Magiæ Objectum omnes ferè res usui hominum inservientes, quarum aliæ sunt Naturales, aliæ Artificiales, referendæ. Licet Dæmonis potestas circa res naturales in usum humanum conditas satis ampla sit, non tamen omnes res naturales pro suo lubitu mutare nedum corrumpere potest. Sic enim ex Voëtio Froman lib. 3. pag. m. 640. *Non potest efficere, ut tota aqua desinat esse humida, frigida, a terra separata : non potest terram loco movere.* Imo *non potest cœlum & astra fascinare, eorûmque substantiam, qualitates, motus & situs mutare, nec quæ inde dependent, tempora & tempestates aliter ordinare,* ut pulchrè loquitur From. lib. 3. pag. m. 639. Et si Dæmon pro Objecto non habeat omnes res naturales, quam ergo potentiam sibi pollicentur Magiæ dediti minori gaudentes potentia quam Dæmon?

§ IX. Materia ex qua constat magica operatio, se considerandam nunc tempestivè exhibet. Constituunt autem Materiam Magiæ, solennes ritus ceremoniæ, verba, carmina, diræ incantationes, characteres, figuræ, cereæ imagines, Christi crucifixi imago, hostiæ consecratæ, panis eucharisticus, Clavi, Annuli, Amuleta

super-

superstitiosa & non naturalia, sigilla, periapta, venena Dæmonis concursu & operatione efficacia, philtra, præsegmina ungvium, afflatus, halitus, cineres cadaverum ustorum, caro & caput mortui, funes suspensorum, manuum pedumque digiti truncato corpore adhibiti, herbæ, pulveres in cibum potumque infusi, vel nudo corpori affricati, vel vestibus adspersi, ungventa multiplicia, serpentes & bufones in pulverem redacti & sub liminibus januarum defossi, Angvillæ, muscæ, erucæ, parvi quoque infantes, & quæ id genus alia a Magis Sagisque loco materiæ adhiberi applicarique rebus conficiundis traduntur.

§. X. Vecordes Sagæ Magique venefici, nequicquam existimant se posse varios actus magicos, per has res, quæ juxta stultam ac erroneam eorum sententiam rationem materiæ habent, producere, quasi Dæmon his rebus veluti mediis addictus esset, cum aliquid in actum deducere avent Clientes ejus. Quippe *impostor ille non modo variis ad hunc cultum technis & mediis a se ostensis, sed ad obtinendum istum, mediis etiam illis, quorum auctor non est, quaque nullam ad efficiendum virtutem obtinent, modo superstitiosa sint, eoque nomine a Deo aversa, adest, persvasioni hominum se accommodat, & tacitè, quasi ab iisdem mediis vires dependeant, omne operationis punctum ipse absolvit*, ut Froman. de fascinat. l. 1. part. 2. p. m. 209. scitè loquitur. Proinde his rebus, quæ materiæ nomine nobis veniunt, nullam sæpe vim nullamq; efficaciam naturalem adscribi debere, cuivis perspicuum est. Certè si talis potestas his rebus insita esset, possent etiam Magiæ ignari easdem res ad tales effectus producendos usurpare. Ut autem tales effectus magicos edant Magi Sagæq;, necesse est, ut Diabolus interventu rerum longè efficaciorum, ipsis præsto sit, qui rerum naturalium peritissimus activa passivis & passiva activis applicare haud raro solet. Unde fit, ut Magiæ dediti homines sæpenumero nullam materiam suis actionibus illicitis accommodent, sed sufficit ut consensum præbentibus ad detestandum facinus faciendum adsit ipse Dæmon, qui re vera expedire solet quod molitur Magus vel Saga. Vide historiam a Fromanno de fascinat. lib. 3. pag. m. 659. adductam, ubi quædam Lamia absque interventu materiæ puerulo nocuit.

§. XI. Quemadmodum inter servum Dominumque mutua fieri consvevit obligatio & confœderatio, eo quidem con-

silio, ut Dominus perspectum sibi habeat quid Servus in ejus ministerio se expediturum promiserit, Servus verò è contrario ut sciat quid prœmii commodique ex hero suo propter præstita officia reportet: ita etiam inter Magiæ deditos & ipsum Dæmonem mutuum intercedere solet pactum, ut sic quisque munia sua majori cum certitudine & cautione explere possit. Pactum proinde, quod Homo cum Dæmone facit, ita ad ungvem descriptum a Godelmanno de Mag. lib. 1. cap. 2. n. 8. exstat. *Quicunque se Satanæ dedere vult, primum (quod dictu horrendum) Deo conditori suo renunciet, fœdus cum eo in sacro baptismo factum rescindat, Filium Dei abneget, ejus beneficia detestetur, nomen blasphemiis, convitiis & contumelia afficiat, ipsum Diabolum solum adoret, omnemque spem & fiduciam in ipsum collocet, imperata sedulò exequatur, rebus a Deo creatis non nisi ad noxam & perniciem hominum utatur: postremo fato suo functus, corpus & animam Diabolo destinet, idque alii per Dæmonis familiaris nomen jurejurando, alii Chirographo sangvine proprio scripto polliceri coguntur.* Hoc fuit fœdus a parte hominum, quo durante homagium semel datum præstare tenentur: si verò id homagium negligunt, quod evenit, ubi profitentes crimen in vincula conjiciuntur, tunc Diabolus, nisi Deus inhibuerit, eos prorsus miserè vexat atque excruciat. Audiamus jam pactum a parte Diaboli datum, quod ita sese habere creditur. *Dæmon multis obligationibus, quæ sæpius meras imposturas redolent, promittit se suis cultoribus & mancipiis in aliqua assumta specie, quovis in loco & quovis etiam tempore absque mora adfuturum, ipsis consilia salubria, quæ non nisi ad internecionem clientum directa sunt, suppeditaturum, in omnibus veneficii generibus auxiliaturum, ad quævis quæsita responsurum, ex quibuscunque discriminibus & vinculis erepturum, pecunias variaque supellectilis genera, cibum potumque, sine ullo eorum labore & opera daturum, imo se quævis mandata strenuè executurum.* Hoc pactum sic initum omnes pios, dum id audiunt vel legunt, terrere facillimo negotio potest, & certè debet.

§. XII. Pactum seu fœdus hoc est vel Apertum vel Occultum. Apertum fit quando quis se Dæmoni in aliqua visibili forma apparenti coram testibus, nonnunquam etiam absque iis, homagium incorruptum præstaturum jurejurando affirmat. Si verò paciscens homo Diaboli præsentiam & alloquium reformidat, tunc sufficit ad hoc expressum fœdus pangendum, si Vicarius Dæmonis h. e. Magorum quis Senior illud cum homine pactum desiderante

iciat.

iciat. Occultum pactum fit quando quis sciens & volens utitur iis mediis quibus uti solent Magi Sagæque: imo etiam si ignorans iisdem mediis signisque utatur.

§. XIII. Fœdera in rebus honestis ac licitis firma rataque esse voluerunt Veteres pariter ac recentiores Romani: & nullum dubium est, quin incorrupta haberi debeant apud omnes mortales, siquidem eadem frangere, vani non tantum ingenii est, verum quod magis est Deum ad vindictam provocat justam. Unde Veteres Romani, cum a sociis ruptum esset fœdus, è vestigio ad vindictam Deorum suorum provocarunt. Cœterum in rebus illicitis ac prorsus fœdis, icta semel fœdera rescindi posse & debere, cuivis manifestum est. Quis quæso tam absurdæ sententiæ est, ut statuat fœdus inter duos latrones ad interimendos homines factum inviolabile perpetuo esse debere? Existimo illud optimo jure posse frangi, si unus latronum conscientia evigilante ab hoc facinore abhorreat & resipiscat, utut alter in malo proposito pergat. Proinde non absq; ratione statui potest, fœdus inter hominem & Dæmonem ictum posse ac debere dissolvi: & quamvis id factu sit difficile, non tamen impossibile prorsus; Quippe ubi homo magiæ addictus saniorem capit mentem, sese nimirum a Cacodæmone ad Deum convertendo, & postmodum diabolica opera fastidiendo, fœdus inter se & Dæmona initum, prorsus elumbe ac irritum reddere potest. Hoc autem pactum seu fœdus nonnunquam a Diabolo, & nonnunquam ab homine rescindi solet, licet posteriori modo sæpius rumpatur. A Dæmone, cum is promissis non stat, & sic eos, quibus cum pactum iniit, egregiè decipit. V. G. ubi illis loco verarum divitiarum donat ossa, lapides, fimum vel alias res spurcas. Ab homine verò dissolvitur hoc fœdus, cum pœnitentiam veram agit, Christi meritum sibi firma fide attribuit, Deumq; conditorem suum ex toto corde amplectitur. &c.

§ XIV. Finis Magiæ illicitæ, qui vel Dæmonem vel Magiæ deditos respicit, paucis verbis jam perstringi debet. Intendit certè Diabolus per magicum exercitium id, ut Omnipotentis Numinis Majestas, bonitas & cultus, non laudibus extollantur ab hominibus, sed potius calumniis afficiantur: Quippe inexstingvibile in Deum concepit odium Dæmon, ut si possit Deum de sede

ſua deturbaret; & propterea quacunq; ratione poteſt in id incumbit, ut homines ad ſe allectos ſubornet atque inſtiget ad varias divini nominis prophanationes, vituperia & calumnias; ſuam autem gloriam, quæ nulla, bonitatem, quæ ſemper fallax eſt, cultum auxiliumq; ubivis ſic decantari poſſe exiſtimat. Præterea etiam Dæmon exercere jubet magicas artes, ut per eas homines innoxii, pecora aliaq; res corrumpantur ac perdantur, unde Diabolus delectatur plurimum. Imo per Magiam hanc id agit Princeps Mundi, ut hominem ſuis laqueis irretitum participem faciat pœnarum earundem, quas ipſe, exigente id juſtitia Dei, miſerum in modum plenè olim luet.

§. XV. Magiæ illicitæ finem, quatenus is ad Magiæ deditos referri debet, non unum eſſe ſed varium, jamjam conſtabit. Quidam homines, ut paupertatem, qua premuntur, evitent, nomina ſua Diabolo dare audent: eum enim divitiis pollentem, poſſe ſuæ inopiæ, ſi ipſi adhæſerint, opitulari, qua inopia alias, ſi in Dei timore perſiſterent, ſemper ſe oneratos fore exiſtimant. Quidam verò, ut corporeas voluptates, quibus in juventute adſvevere, perpetim uſurpent, magorum ſe jungunt numero; quum enim bona patria in voluptates varias effuderunt, ut nullæ ſuppetant facultates, quibus conſvetudinem pravam h. e. voluptates alant, confeſtim Magiam diſcere avent. Alii autem ut poſſint ulciſci injurias ſibi illatas, etiamſi leviſſimæ ſint, Magi vel Sagæ fieri non dubitant. Nec deſunt qui ob honoris ac eminentiæ gradum opem implorant diabolicam. Sic multos ex Pontificibus Rom. evectos fuiſſe ad Pontificalem dignitatem auxilio Magiæ prohibitæ, etiam ſectæ hujus Scriptores affirmare haudquaquam ambigunt.

CAPUT QUARTUM.

Magiæ Effectus Falſi.

§. I.

INnumeros propemodum & infinitè varios effectus Diaboli Organis adſcribi debere, ſunt non pauci qui contendunt, ſed perperam, ſiquidem illorum potentiæ non eſt, perducere in actum quæ-

quæcunq; voluerint. Si enim tanta esset eorum potestas circa res naturales, quantam sibi ex superbia & temeritate insigni pollicentur, nulla certè res propter illorum tyrannidem, quam in Dei opera prorsus eximia exercere desiderant, intacta incorruptaq; esset. Unde vani omnino censendi sunt, qui ipsis tribuunt talia, qualia Pamphiliæ Thessalæ attribuere audet Apulejus, Matamorphos lib. 1. p. m. 81. f. ubi ita narrat. *Saga divinipotens cælum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, sidera exstingvere, tartarum ipsum illuminare* potest. Alii autem existimant Diabolo ex pacto adhærentes parum aut nihil efficere posse, quasi Dæmon eorum Magister non multa polleret vel scientia vel potentia, quum tamen longa naturalium rerum observatione, ac mira prorsus sagacitate præditus, multa Deo permittente agere possit. In medio autem, quum ibi tutissimè eatur, versari placet, statuendo Magos Sagasque multos miros effectus permissu Dei & auxilio Diaboli posse in actum perducere, multos verò effectus esse, qui exsuperant potentiam Diaboli, quos non possint producere, juxta illud; *Quicquid Dæmon potest, id per eum ex pacto possunt Magi: nihilq; possunt Magi, quod nequeat Dæmon.* Del-rio *disq. Mag.* lib. 2. pag. 158. Et quum hi effectus falsi, quos primum examinare animus est, multi sint, ideo præcipuos adductos in compendium redigere, temporis ac instituti ratio monet.

§. II. Persvasum multis fuit Magos Sagasque posse ex una specie perfecta in aliam transformare corpora naturalia perfectè viventia, innixi fortè narrationibus illorum, qui se Lupos, Equos, feles, Canes, Asinos, Aves & Sues fuisse deblaterarunt: cœterum si rem accuratius paulo perpendamus, deprehendi facilè potest, hanc sententiam cum ipsa experientia & sana ratione è diametro pugnare. Impossibile namq; Dæmoni & ejus Clientibus est, posse hoc præstare, quum Essentiæ rerum juxta vires in prima creatione datas prorsus immutabiles sint. Præterea si talis Metamorphosis Substantialis statueretur, sanè Deus permitteret Dæmoni absolutum ferè in naturam dominium, & animam rationalem in brutam & irrationalem mutari pateretur, quod tamen nullo modo divina permittit clementia; servat enim naturæ formator unamquamq; speciem integram ac incorruptam, ut ipsi nihil quo ad essentiam decedat. Adscribere placet Doctissimi Viri Georgii Sabini verba, quæ in comment. super lib. 7. Metamorph. Ovidii, posteritati reliquit.

Certos homines effici quotannis Lupos , & rursus ad pristinum habitum redire, vulgo persvasum est. Tales refert Herodotus esse apud Neurios Scythiæ populos. Et hic quoque apud Borussos fama est tales inveniri, è quibus nuper unus fuit captus, & ad Ducem Borussiæ adductus a rusticis, quorum jumenta dilaniasse credebatur. Erat homo deformis nec multum absimilis feræ, habebatque vulnera in facie , quæ dicebatur accepisse morsus a canibus , ubi fuisset mutatus in Lupum. Is a quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat, interrogatus ajebat, se quotannis bis ita mutari solitum : primò circa natalem Christi, deinde circa Festum Johannis Baptistæ , illisque temporibus se efferari, & cogi impetu quodam naturæ in silvis inter lupos versari , maximo autem horrore & langvore corporis se affici, antequam pili erumpant & forma mutetur. Hæc affirmanti credita sunt : sed cum ad explorandam rei veritatem diu captus in carcere detineretur, ac diligenter a custodibus carceris observaretur , an aliquando efficeretur lupus , retinuit semper eandem formam quam habuit. Is fuit exitus fabulæ. Unde constat ea, quæ de ambiguis lupis narrantur esse falsa, utpote quæ homines mente capti sibi imaginantur. Hactenus ille. Jam cuivis manifestum est quid sentiendum sit de nobili , quem ante exiguum tempus in canem mutatum absurdè quidam miserunt in literas : opinor typographum vel potius auctorem ejus fabulæ egentem & famelicum hoc de nobili illo finxisse , ut lucellum aliquod inde venaretur. Proinde falsi sunt, qui existimant frequenter omneis illos, qui Sponsum ac Sponsam ad copulationis actum comitantur, in lupos veros transformari, quod fieri in Finlandia aliqui mentiuntur. Quippe *Essentiarum in creaturis mutatio verè & realiter fieri non potest*, observante Cl. Freudio de Mag. Q. 139. n. 48. Sunt autem tales Metamorphoses glaucomata Diaboli, quibus hominibus credulis imponere haut raro solet.

§ III. Pro metamorphosi vera, reali & substantiali pugnare videtur mutatio Uxoris Lothi in statuam salis, nec non Nebucadnezaris in bovem. Verum , ut rem paucis absolvam, Lothi uxor divina virtute, cui nulla diabolica aut magica vis par esse potest, immutata fuit in statuam salis verè & substantialiter , quum morem gerere nollet monitis divinis ; non tamen anima mutationem ullam subiit, sed ea a corpore subducta ad suum receptaculum abiit, licet corpus in statuam salis mutatum sit. Nebucadnezar autem quo ad substantiam minimè fuit mutatus, nam animam rationis participem (utut intellectus obscurabatur) formamque corporis pristinam retinuit:

nuit: ſed quo ad qualitates ſeu accidentia immutatus rectè ab eruditis creditur. Ex parte Animæ (non Eſſentiæ ſed Accidentium ratione) ejus intellectus, phantaſia ac voluntas ita vitiabantur, ut ſe verum putaret bovem, propptereaque humanam ſocietatem fugeret & ſilvas peteret, ubi inter beſtias viveret. Ex parte verò corporis accidentaliter tantum mutatus fuit, ſiquidem more boum fœno potuit paſci, quadrupes manibus pedibusque innixus frigora, calores & imbres tolerare potuit, per ſaltus cum cœteris beſtiis diſcurrit, a quibus omnibus homo ſanæ integræq; mentis penitus abhorret.

§. IV. Quum ſubſtantialis & quidem totalis hominis vel alterius Animalis mutatio fieri nequeat, ut evictum dedi, ideo non intempeſtivè quæri poſſet, An homo quo ad partem corporis ratione ſubſtantiæ ſpectati, metamorphoſin admittat? Hiſtoriæ certè aliquæ ſatis clarè exhibent, quomodo quidam Homines unum vel alterum corporis ſui membrum mutatum eſſe compererunt. Unam a Freudio de Mag. Q. 137. depromam hiſtoriam, quæ ex germanico Idiomate in latinum ſic transferri poteſt. *Quum Chriſtophorus Wagnerus Patavii cum aliis nonnullis gaudio aliquando totus eſſet delibutus, incipit unus ex ſociis ejus rogare, ut ipſis ludicram repræſentaret actionem. Wagnerus reſpondit hac vice ſufficere, quæ ipſis hactenus oſtenderat. Quum verò alter petendo inſiſteret, dicit Wagnerus: Age, fiet res riſu digna. E veſtigio alter bovinum caput cornibus inclutum accepit. Cœteri eum deriſere. Hoc indignè ferens voluit eos objurgare, ſed tunc ut verus taurus mugitum edidit. Statim ori cyathum admovit, ut biberet, ſed id nequicquam tentavit ob labiorum magnitudinem. Tunc Wagneri famulus vinum patera infudit, ex qua alter bibebat ſatis largiter. Interea fama hujus rei ad uxorem ejus eſt perlata, qua nunciabatur Virum habere bovinum caput. Illa properè accurrens, rem ſic ſe habere, ut fama ferebat, comperit: multa convitia in Wagnerum ingeſſit, ſiquidem tali contumelia maritum affecerat. Wagnerus bonis uſus verbis petiit, ut taceret, idem cœteri fecere, ſed nequicquam. Tunc Wagnerus applicuit uxori huic vaccinum caput cornutum, unde major exortus eſt riſus. Uxor etiam verbis ipſum increpare cupiens cœpit mugire. Et quum viderent non redire vultus priores domum ſe contulere non abſque ſpectatoribus, qui frequentes aderant: cogebantur inſuper bovinis deformes capitibus lectum petere, & in lucem ſequentem ſtertere, cum iterum a Wagnero, intercedente quopiam, priora capita humana recuperarunt.* Verè & ſubſtantialiter capita horum hominum

minum in bovina non mutabantur, siquidem Wagnerus diabolicis imposturis usus id præstitit, ut viderentur bovina, quum tamen re vera mansissent humana. Quo autem modo hoc peregerit videatur Del-rio disq. Mag. lib. 2. Q. 8.

§. V. Ex planè inhabili ac inepta materia locustas, Sorices, mures, erucas, serpentes & similia animalcula Diabolus & Clientes ejus verè producere nequeunt, quum productio rerum animatarum ex inhabili materia peculiare sit opus, Deum auctorem solum agnoscens. Quando autem tales despicabiles animantes magicis artibus proveniunt, quod interdum fieri posse non inficias eo, tunc non ex inhabili sed idonea ac seminibus ejus generis fœta materia eas prodiisse certum est. Diabolus enim rerum naturæ experientissimus novit ubi apta his rebus proseminandis materia reperiatur, quam juxta postulatum Clientum suorum in unum colligit, & ope naturæ applicando passiva activis credi vult vi sua Magos Sagasque produxisse talia; & sic mancipia Dæmonis impudenti ore sibi tribuunt, quod potentiæ naturali & Diaboli solertiæ atque agilitati adscribendum erit. Proinde Pharaōnis Magi non produxere serpentes ex bacillis suis, quibus propignendis ipsi prorsus inidonei essent: De Aronis baculo virtute divina verè verso in serpentem longè aliter sentiendum est. Non veros sed apparentes hos fuisse serpentes Magorum, quidam statuunt, sed sic Moses & Aron viri divini fascinationibus magicis delusi fuissent, quod dicere absonum videtur; certè si lusissent Magi præstigiis suis haud dubiè fraudem impostorum illico detexissent. Veros necesse est fuisse hos Magorum serpentes, quum Scriptura S. asserat Magos Ægyptios fecisse similiter, non quidem mutatis in serpentes baculis, sed alicunde allatos celerrimè subtractis bacillis omnium qui aderant objicientes obtutibus, quod quidem tam ingeniosè, solerter celeriterque ab ipsis fieri poterat, ut Ægyptii spectantes crederent baculos Magorum verè fuisse in serpentes versos. Sed ut mentes Regis & adstantium, nisi obriguissent, divinæ virtutis magnitudo percelleret, volente Deo, serpens Mosis & Aronis serpentes Magorum penitus deglutiit.

§. VI. Suis carminibus Magi Sagæque sibi persvadent posse ex tumulis educi defunctos obsecuturos eorum cupiditati ac desideriis, sed illam opinionem a veritate remotissimam esse, sana

ratio

ratio evincit luculenter. Qui enim in Christo piè defuncti sunt, gaudiis cœlestibus intersunt perpetim, & dein nunquam in terras has redeunt, ut humanis obversentur oculis. Impii autem mortui in locum, ex quo non dimittentur, detrusi sunt. Unde Pythonissa in Endor verum Samuelem magni nominis Prophetam excitare non potuit, sed re vera Dæmonem, ut Sauli daret consilium, futuraque nunciaret, evocavit. Is enim haud rarò alicunde corpus solet assumere, ut præsentem se sistat iis, qui eum conventum cupiunt.

§. VII. Sunt etiam Sagæ tam vecordes, ut existiment se totas posse penetrare, & alios etiam traducere per angustas rimas & exiliora multo foramina quam sint ipsorum corpora, & hanc opinionem sparserunt passim, qui ad conventicula Sagarum sese ferri dicebant pueri puellæque, ut ex Viro fide dignò accepi. Dixerunt enim se, quoties transportarentur a Lamiis, per angustas rimas in fenestris, parietibus, &c. duci ac vehi. Cœterum quam multum hi a vero aberrent, qui hoc statuunt sibique persvadent, non satis dici potest. Quomodo enim fieri potest, ut justæ magnitudinis humanum corpus integrum illæsumque angustissimum pertransire queat foramen? Certè Diabolus μυριοτεχνίτης præsens est, qui latenter aperit januas & fenestras, easque claudit, postquam per eas corpora transmiserat. Imo truncos & lateres in momento temporis minimo movere posse loco, & traductis corporibus ita restituere locis prioribus, ut nullum supersit mutationis vestigium, sanè argumentum est summæ agilitatis & solertiæ, quæ haud scio an spiritibus rectè queat tribui. Bonus equidem Angelus quidam portam illam magnam, per quam D. Petrum de carcere liberavit, adeo insensibiliter aperuit, ut ne quidem appositi carceri custodes & vigiles animadverterent. Act. 12. Longè tamen alia ratio fuit corporis Christi per januas seris & vectibus occlusas venientis ad Discipulos, Joh. 20. vers. 19. ejus enim corpus glorificatum solida ac dura corpora nullo negotio potuit pervadere, itaque accessuro ad Discipulos non necesse fuit pandi januas.

§ VIII. Magi qui putant se posse impertiri animantibus ratione carentibus loquendi facultatem, verbis facilè refutantur & rationibus; nam brutæ animantes sermonis articulati per se ca-

paces non ſunt, licet quædam præ aliis ad voces quaſdam humanas proferendas promtiores natura ſua videantur, ut Pſittacus & Corvus. Aſinam autem Bileami locutam fuiſſe ſacra pagina Num. 22. docet, quæ tamen locutio miraculoſè & divina quadam virtute peracta piè creditur. Iccirco ſi beſtiæ loquuntur, ut putant Magi, id per ſe facere dicendæ non ſunt, ſiquidem Dæmon illarum corpora ingredi poteſt, & ſic per eas loqui, veluti priſcis temporibus per Idola locutus eſt Diabolus, vel etiam miniſtri ejus Sacerdotes idolorum. Et quum Magi non poſſint efficere, ut beſtiæ per ſe loquantur, facilè etiam apparet eos non poſſe intelligendi facultatem diſcurſivam communicare iiſdem. Videatur Del-rio diſq. Mag. l. 2. Q. 19. & 20.

§ IX. Per magicas artes ſexus mutationem fieri poſſe aliqui cenſerent, quum Poëtæ & hiſtoriæ de naturali ſexus mutatione occurrentes id ſvadere videantur. Cœterum ſi verum audire libet, Diabolus & Clientes ejus talem ſexus mutationem verè & ſubſtantialiter non poſſunt facere, & ſi obſervetur aliqua ſexus mutatio, tunc illa non eſt vera & realis ſed apparens: potuit enim membrum ad certum tempus & quidem ob peculiares cauſas abſconditum eſſe, quod dein prorupit, quò collimat Freudius dum inquit: *Veriſimile eſt iſtos Homines contracto genitali membro intusque adnato in lucem editos, quod poſtmodum vinculis ruptis prorupit.* de Mag. Q. 143. n. 5.

§ X. Hiſtoriæ aliquæ nec non Poëtarum monumenta plurima videntur ſtatuere ſenio confectis reddi poſſe juvenilem ætatem, quam ſententiam confirmant Philoſophiæ naturalis periti quidam qui cenſent ſerpentes poſitis exuviis novos fieri, ut ait Virgilius. Sic etiam Aquilam renovari quidam perhibent. Verum hoc Dæmonem præſtare non poſſe, nedum ejus miniſtros & ſatellites facilè quivis videt. Quo enim pacto hominibus ſenibus reddi poteſt juvenilis ætatis vigor? Exiſtimo calidum innatum & humidum radicale ſemel abſumta non poſſe cuiquam innovari, licet ea utcunque ali apud pauciſſimos poſſe ad tempus, naturæ legi non planè repugnet; quod autem Hiskiæ accidit, ut 15. annis adhuc vitam ageret, lethali adfectus morbo, id peculiare Dei beneficium fuit opuſque. Magi proinde neutiquam præſtare poſſunt, ut ſenex homo, qui decrepitam agit ætatem, vires & vigorem juvenilem reſumat,

sumat, canities in flavos vel atros imutetur pilos, algor in calorem, langvor in agilitatem, & ut silicernium (ut uno verbo dicam) recipiat omnia, quæ per vergentem ætatem absumta sunt. Et sanè si id facere possunt, cur non suos deformes rugososq; vultus in juveniles & formosos transformant? Cur non mutilorum membrorum loco sibi integra ac vegeta reponunt?

§. XI. Verum quidem est Sagas posse aliis hominibus lac vaccinum suffurari, quod etiam strenuus ille Hæreticorum domitor Lutherus in expositione decalogi fatetur: cœterum ut possint ex mantili, bipenni vel poste lac emulgere nullo modo statuendum erit: postis enim, bipennis & consimiles res ad lac fundendum prorsus ineptæ sunt. Diabolus autem Lamiis clam suppeditat ad butyrum & caseos inde conficiundos lac, quod ubera vicinarum vaccarum præbent, iis hoc ignorantibus & præstigias diabolicas non advertentibus.

§. XII. Non parum impudentes sunt Magi Strigesque, quum sibi indubiam & certam futurorum prædictionem polliceri audent, quasi Deus Diaboli eorumque cognitioni res liberè & contingenter futuras omnes subjecisset. Sanè Diabolus certò prædicere nequit ea, quæ omnino liberè & contingenter in his terris futura sunt. Hoc si ipse præstare nequit (licet per conjecturas probabiles de futuris nonnunquam non ineptè divinet) qua fronte certam futurorum denunciationem sibi adscribere sustinent ejus mancipia, quæ nihil possunt facere, supra id quod possit Magister eorum conficere? Solus, ut opinor, Deus cogitationes humanas noscens, potest futuras res, ut revera fient infallibiliter præscire, easque certò prædicere. Aliquando tamen fit, ut Diabolus res contingenter futuras prænunciare possit, sed tunc non ex se, sed vel ex revelatione Dei singulari, vel ex experientia rerum & temporum, vel ex temperamenti constitutione, gestibus, inclinationibus cujusque, quarum rerum sagax explorator est, hoc aut illud futurum prædicere potest, & mancipia sua prædibere patitur: imo futura ea, quæ dudum in divinis literis patefacta sunt, quæque novit se permissu Dei aliquando facturum, per se suosq; clientes prænunciare potest.

§. XIII. Negari etiam nequit, quin Dæmon cœlorum

motus, conjunctiones astrorum & Ecclipses per Magos prædicere possit, quum hæc prædictio dependeat a necessariis causis, quæ ab aliis causis naturalibus non possunt impediri. Est enim Dæmon doctissimus Astronomus, qui observato cursu motuque Astrorum non potest non per Magos Ecclipses & similes futuras res naturales certò prædicere. Præsentes etiam res Diabolo apprimè notas possunt Magi Sagæque ope Diaboli nunciare: Sic Jacobus Perusinus Sacerdos pariter ac Magus, qui cum missam canens ad populum se convertisset, ut diceret, Orate pro me fratres, in hæc erupit verba, Orate pro castris Ecclesiæ, quia laborant in extremis, his verbis indicans eo temporis spacio cæsa fuisse castra, quæ Perusio ubi cecinit missam, quinque & vingiti milliaribus abfuere, ut auctor est Grillandus lib. 2. cap. 6. de sortileg.

§. XIV. Sæpè a Diabolo decipiuntur vetulæ striges, cum autumant se frequentissimè a dæmonibus rapi ad conventus solennes diabolicos, ubi choreas ducere, edere, potare, & cum dæmonibus coire creduntur. Quippe cum se ungvento (ex quo levitas ipsis accedere putatur, licet falsò) inunxere, fieri equidem potest, ut sensibus externis & internis sepultis atque perturbatis ipsis repræsentet Dæmon omnia ea quæ in conventiculis esse putantur, licet loco motæ non sint, sed in lectulis suis altiori oppressæ somno jaceant, quod etiam magni nominis Viri cupientes cognitionem certam de talibus illarum itineribus consequi, aliquando deprehenderunt. Nonnunquam tamen ad conventus tales solennes verè ferri certum est, insidentes scopis, baculis, furcis, canibus, tauris vel hircis, quæ tamen res ex ungvento ita leves non fiunt, ut homines sibi insidentes ad locum designatum raptent, sed Diabolus Polytropus adest, qui scopas, baculos & consimiles res sublevat atque agit. Proinde rectè colligitur Sagas aliquando verè & corporaliter non a dæmonibus esse translatas ad conventus tales, interdum autem re vera eò deportatas esse, quod confessiones earum multiplices ac consentientes nec non argumenta rerum abunde comprobant.

Fusè hac de re disserit Del-rio disq. Mag. lib. 2. Q. 16.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Magiæ Effectus Veri.

§. I.

MUlti homines morbos ac cruciatus ſuos graves, quibus cum luctari interdum ſolent, non ſuſtinent adſcribere Diabolo, nedum Organis ejus, ne videantur extenuare Scripturæ dicta; Deut. 28. verſ. 27. Exod. 15. verſ. 26. Amos. 3. verſ. 6. Deut. 7. verſ. 15. 2. Sam. 24. verſ. 15. 2. Paral. 21. verſ. 18. Levit. 26. verſ. 16. Cœterum licet Deus hominibus propter antegreſſa peccata, ſive ut fidem illorum exploret, morbos infligat, quod & ſanctè affirmari poteſt, nihilominus tamen Diabolus & Clientes ejus permittente Deo hominibus morbos atroces & fortè incurabiles inferre poſſunt, quod hiſtoria Jobi a Dæmone graviter afflicti, pariter & experientia teſtantur. Quin & maleficæ confiteri ſolent ſe ope Dæmonis hunc vel illum morbum immiſiſſe cuipiam, qui vel eis vel etiam aliis injuriam intuliſſe creditur. Sic vetula quædam cuidam quotidie mercenariam operam locanti, ob duriora verba adverſus ſe prolata, puſtulam adeoque lepram per totum corpus acceleravit, ut fusè habet Mall. Malef. Tom. 1. part. 2 Q. 1. cap. 11. Similiter malefica quædam Sacerdoti, quod ſe tranſiens de ponte in lutum detruſit, maleficio nocuit, ut triennium vel quod excurrebat gravi detineretur morbo: hanc hiſtoriam quoq; habet Mall. Malef. Tom. 1. part. 2. Q. 1. cap. 2.

§. II. Nonnunquam etiam mortem Sagæ hominibus adferunt, ita quidem ut lenta tabe conſumantur. Creduntur enim hæ maleficæ formare ſimulacrum cereum, ad ejus hominis effigiem, quem interimere volunt, quod igni aliquoties exponunt; & ſicut hoc cereum ſimulacrum igni expoſitum ſenſim liqueſcit & deminuitur, ita etiam vita ejus, quem occidere cupiunt, ſenſim deperit, donec tandem animam efflare neceſſum habeat. Vide hiſtoriam de Duffo apud From. de faſcinat. lib. 3. part. 4. pag. 604. Interdum verò acubus illud ipſum ſimulacrum cereum compungere ſolent, & ſicut illud lædunt Sagæ, ita hominem, cujus ſimulacrum fa-

ctum est, lædit Diabolus, licet malefica id non animadvertat: & tam diu læditur homo iste, donec contabescens moriatur. Mitius celeriusque Sicarii, Assasini dicti, homini, de quo vindictam capere volunt, mortem accelerant. Hi enim sacram crucifixi Christi imaginem sibi deligunt, in quam ut in scopum glandibus plumbeis jaculantur: telis autem trajecta imagine, putant se quemcumque enectum volunt, utut in remoto & abdito degat loco, formata tamen prius ejus imagine, telis subito posse interimere, quod etiam, permissio divina si adsit, evenit, siquidem Satanas, dum sagittarius talis imaginem hominis petit, tela in hominis corpore defigit. Tales sunt è nostris Finnis & Lapponibus ii, qui inimicos homines a se etiam aliquando remotissimos magicis telis, quæ nostris **Trållskått** dicuntur, conficere exactè norunt, teste Olao Magno in hist. gentium septentr. lib, 3. cap. 17.

§. III. Habent & alium modum nocendi hominibus Magiæ dediti, cum injurias sibi illatas ulcisci volunt, nimirum immittendo ipsis malos spiritus, per diras incantationes, quas adhibere solent. Reverendus Doct. Danhaverus in tractatu suo, qui **Scheid und Absagzbrief** inscribitur, narrat nobilem quandam Virginem, miserum in modum Anno 1650. a Dæmone, ipsi a Vetula immisso, excruciatam fuisse, quam tragædiam ad vivum depinxit Freud. de Mag. Q. 181. n. 4. His maleficis accenseri possunt nonnulli nostri Finni, qui ubi injuriam, utut tenuem & levem acceperunt, confestim vindictæ cupidine moti, possunt hominibus (permissu tamen Dei & operatione Diaboli) venenosas quasdam res, quas **Tyror** nuncupant, immittere, ex quibus homines, post vehementissimos dolores & cruciatus, tandem vitam finiunt.

§, IV. Sunt & Lamiæ nimis crudeles, quum in prægnantium uteris infantes enecent, ita ut abortus sequatur: solent enim parvos serpentes sub liminibus januarum in pulverem redactos defodere, qui quamdiu defossi latent, tam diu infœlicitatem uxores in pariundo experiuntur: interdum etiam solo afflatu ad eundem modum gravidis se posse nocere Veneficæ autumant. Possunt etiam partum fœminæ, quam oderunt, prorsus difficilem facere, licet ea pariendi difficultas ineptis mediis, ut attactu, verbis aut herbis non procuretur: Diabolus enim re vera adest, qui exaudiens desideria

deria sibi famulantium, malitia sua fœtum detinet loco semper eodem, viasque tenet occlusas, & varios spiritus humidos exsurgere facit, ut uterus puerperæ nec non fœtus miserè vexentur. Rarò verò Sagæ parturientibus difficultatem pariundi adimunt, & si id præstant, tunc eò impudentiæ venitur, ut aliis hominibus aliquando etiam rebus mortuis eos dolores & cruciatus, quos puerperæ experientur, imponant, ut non rarò accidisse fama fert. Præterea Sagæ puerperis postquam enixæ sunt, lac omne subducunt ex uberibus, & ubera ipsa sæpè exsiccant.

§. V. Permissu Dei auxilioque Diaboli Lamiæ Magique solerter norunt hominibus gravem prorsus somnum conciliare: quo dum oppressi sunt, Magi Sagæque interea sua maleficia, furta aliaque facinora perficiunt. Hic autem sopor, qui naturalis prorsus non est, sic a Magis conciliari creditur. Mortuorum pedes aut manus sibi comparant & oleo diabolico inungunt, & postmodum cum aliquod facinus machinantur, quemque manuum vel pedum digitum igni admotum incendunt: prælucentibus diris his tædis (quæ in se nullam habent soporandi vim) in domibus, omnes quotquot ante naturali detinentur somno altiori opprimuntur sopore, ut non evigilent, antequam hæ candelæ exstingvantur. Interea Sagæ sua non segniter agunt negotia, suffurantes non tantum pecunias & res alias, sed &, nisi Deus prohibeat, parentibus omni cariores auro infantes teneros, quos a parentum divulsos complexibus, vel ex cunis subductos deferunt ad Orcum, relictis in subductorum locum supposititiis, quos nostrates **Bytingar** appellant.

§ VI. Somnum capientes homines a diaboli mancipiis posse invadi & vexari asseverare non erit absurdum, siquidem Dæmon homines non tantum vigiles sed & dormientes potest affligere, ut sana ratio svadet: & quum ille potis sit hoc facere, quid obstat, quo minus etiam ministri ejus permittente Deo idem præstent? Verum quidem est homines affligi in somno ab Ephialte nobis **Maara** dicto, qui Ephialtes naturalibus constat causis, & teste From. de fascin. lib. 3. part. 4. Sect. 1. cap. 5. *Est respirationis & vocis in somno interceptio, corporisq; oppressio, speciem incumbentis thoraci oneris præ se ferens.* Cœterum præter hanc oppressionem in somno naturalem etiam datur diabolica, quæ a malis spiritibus, sed sæpius a Sa-

gis procurari haud absurdè statuitur. Et ut res sit manifestior, placet adscribere verba Heurnii Tract. de morb. capitis cap. 30. a Freudio de Mag. Q. 79. n. 9. adducta. *Sanè qui incubo infestantur, veluti ascendere atq; insidere sentiunt suo pectori quicquam. Ego sane (pergit ille) puto duplicem causam esse: unam naturalem, alteram dæmoniacam. Memini dum puer essem, me cubare apud Matronam quandam optimam: cum dormiret, ei super stragula Vir niger mihi incumbere visus: manc querebatur se incubo infestatam fuisse. Ego quamvis puer, nihil de nigro illo audebam indicare, quod minitari, si quid protulissem, visus mihi fuisset.* De Ephialte dæmoniaco vide exemplum apud Freud. de Mag. Q. 79. n. 30. Hinc adparet quam necessarium sit, ut ituri cubitum piis precibus divinæ nos nostrosque omnes commendemus custodiæ.

§. VII. A diabolo hoc accepere privilegium Magiæ dediti, ut eos gladii, globuli plumbei & sagittæ non penetrent: verum non totum corpus semper eis liberum ab hisce perhibent, quum ipsum caput & pars corporis infra umbilicum sæpe telorum ac gladiorum pateat ictibus. Immunes aliquando sunt a jaculis & globulis tantum ferreis ac plumbeis; si verò arma hujus generis stannea, orichalcea, vitrea vel argentea quis adhibet, res longè aliter se habere creditur. Ut autem impenetrabilem probeque induratam cutem circumferant, jubentur a Cacodæmone periapta gestare, vel in corpore interulas linteas horrendis pictas imaginibus habere, vel etiam apud se chartas seu membranas variis inscriptas characteribus portare, vel ad minimum certa diabolica verba proferre. Hæc autem ars, Passaviensis aliquando dicta, quod ante annos circiter septem & sexaginta Passaviæ a quodam carnifice tradita sit militibus in obsidione urbis Pragensis commorantibus, non hisce mediis respectu Diaboli innixa est, sed aut Diabolus gladii aciem retundit, aut etiam globulos corporibus illorum intortos repellit, Magiæ addictis id non advertentibus, quod videtur adeo probabile. *Novi quendam* inquit Del-rio disq. Mag. l. 2. Q. 21. p. m. 232. *Studiosum juris, nomine Quirinum U. I. Baccalaureum, qui cum tali membrana fretus audacter se jurgiis & pugnis immisceret, sæpe ictus nunquam saucius: tandem Romæ anno 1573. in sympoſio minimo vulnere fuit interemtus.* Sic ars improba alumnum destituit: Et sanè quotquot hanc artem usurpant (licet ad tempus ipsis munimento sit) funestum ac tragicum vitæ exitum tandem sortiuntur. Ex Freudio de Mag. Q. 133. n. 31. hæc histo-

riola ſequens depromta: *Quidam Decurio ad* **Fellenſtein** *captus ab hoſtibus, usq; ad mortem rotis cruciatus eſt, quum globuli ac gladii ejus cutem penetrare non poſsent. Poſt mortem verò ut horrendam ſpectrum longo tempore apparuit.*

§. VIII. Sibi non parum gratulantur Magiæ addicti, quum jactant ſe poſſe incolumes eſſe in mediis flammis ac ignibus. Sic olim Dianæ Caſtabalis Sacerdotes mulierculæ ab igne manſerunt illæſæ; Sic Hirpiæ in Faliſcis innoxii per prunas ignis ambularunt teſte Plinio hiſt. Nat. VII. 2. pag.m. 111. v. 60. Ungi cœterum debet corpus Magorum Sagarumve certo ungvento a diabolo accepto, ſi immunes eſſe velint ab ignis efficacia, licet hoc ungventum per ſe non habeat eam virtutem. Volunt quidam ſuccum malvæ poſſe inſervire huic rei, unde putant circumforaneos, habentes manus malvæ ſucco inunctas, impunè poſſe lavarè manus liquido plumbo & liquefacta pice, ſed de eo dubitari poteſt, ſiquidem nemo expers Magiæ illicitæ hujus malvæ ſucci efficaciã experiri auſus eſt. Alterius tamen ordinis eſt, quod Sancti Dei Viri in ignis flammam conjecti ſalvi manſerunt; Dan. 3. v. 21. ſeq. item quod rubus ardens non conſumebatur. Exod. 3. v. 2. Superavit hoc factum naturæ vires, ideoq; tanquam ſingulare quid pro divino miraculo haberi debet.

§. IX. Magi Sagæq; hanc diabolicam etiam callent artem, ut poſſint occulto furi oculum excutere, ut notabili vultus vitio fœdatus noſcendus propinetur omnibus. Exemplum ſequens ſuppeditat Godelm. de Mag. l. 1. c. 5. p. m. 42. *Guſtrovii quidam cochlear argenteum amiſerat: cum autem furem ex oculo quoq; excuſſo cognoſcere cuperet, fabrum adiit, ab eoq; petiit, ut ſua arte magica furem oculo privaret, quod & factum, & ſtatim filiolus illius, qui cochlear in angulum quendam conjecerat, oculum amiſit.*

§. X. Poſſunt & mancipia Diaboli amorem inter quos volunt conciliare adhibendo philtra naturalia & artificialia, verba & incantationes, ſigna, characteres, imagines, hoſtias conſecratas, pilos in extrema lupi cauda, & oſcillum ranæ viridis in formicarum globo exeſæ, licet hæc omnia media, exceptis philtris naturalibus, ſint vana ac ſuperſtitioſa. Debet autem Dæmon, quando amorem inter tales conciliabunt Sagæ, *humores turbare, ſemen augere, irritare,*

 corpus

corpus accendere, spiritus incitare, libidinis stimulos ingerere, flatus, pruritum, calorem conciliare, phantasia aliquid ut elegans appetendum amandumq; objicere, concupiscentiæ motum succendere : & sic sensitivum amorem Satanas per Magos conciliare potest, ut habet Freudius de Mag. Q. 152. n. 2. Non tamen dici potest Diabolum & Magos posse in mentem & voluntatem hominum ad amorem conciliandum immediatè agere, hoc enim soli Deo competit, sed mediatè tantum ope naturæ & istarum rerum, quarum jam mentio facta est. Quin & odium inter certos homines etiam concordantes instruere possunt Magi, ita ut unus alterum perpeti neutiquam possit; potest enim Dæmon phantasiæ objicere & oculis velut intuendas exponere omnes odio dignas imagines, & in memoriam revocare varios amarores, adeo ut iis animo obversantibus homines irritentur atque evomant iræ virus, etiam in eos, quos finita tali commotione animi absentes quantumvis mirè desiderent atque diligant.

§ XI. Victorias in bello nonnunquam procurare & largiri Magos Lamiasque historiæ quædam & potestas eorum svadere videntur. Qippe in bellis animi & corporis vis, celeritas, dolus & impetus multum efficere possunt : & quum hæc omnia in Magiæ addictos cadant excellentiori gradu quam in homines multos alios, ideo non inconveniens ducitur, dicere eos posse permissu Dei victoriam quibus favent aliquando comparare. Sic referunt Oddonem Danicum piratam magicis artibus victoriam reportasse a Normannis, quæ historia apud Saxon. l. v. & Freud. de Mag. Q. 154 n. 4. legi potest. Nonnunquam etiam urbes expugnandas præbere possunt, imo si necessitas ita postulat, obsidione liberare : Quando verò Deus permittit Mancipiis Diaboli victorias comparare quibus favent (alias a Deo victorias provenire testatur David, Psalm. 144. v, 10.) tunc justa judicia sua exercet, & iis qui vincuntur & profligantur, talis permissio Dei in paternam castigationem vel in pœnam debitam cedit. Sed quam exsecrabile, intutum & perniciosum aliquando sit horum uti opera, Del-rio disq. l. 2. Q. 12. p. 176. præter alios docuerit.

§. XII. Multi putantur magicis artibus ascendisse ad summos honores & dignitates, & quidem non absque causa : possunt enim sibi multorum hominum gratiam ac favorem conciliare,

&per

& per illum evehi ad magnum dignitatis fastigium. Nam illi qui ad clavum Reipubl. sedent ita comparati sunt, ut eos qui sibi placent quantumvis indignos, ad magnos honores officia ampla promoveant. Sic Pontifices quidam Romani, quos enumerat Del-rio disq. Mag. lib. 2. Q. 12. pag. 177, Pontificalem dignitatem consecuti creduntur, licet Jesuita ibidem eos magica ope ad id munus provectos neget. Sed Magiæ deditos posse præstare, ut alii abjectæ sortis homines ad gubernacula Reipubl. vel ptoxima his munera assumantur, negari quam affirmari facilius potest. Divitias quod attinet, sciendum est diabolum ejusque Organa raro largiri alicui veras divitias & pecunias, & si quas dant, ab aliis furtis sublatæ haud dubiè sunt. Sæpius verò pro thesauro carbones, pro auro scorias, pro rebus bonis quisquilias, pro pane lapidem, pro pisce scorpium porrigere solent, ut inde metiri illorum liberalitatem sit facile.

§. XIII. Aerem & aquam sagæ venenis inficere quoq; possunt, ita ut hinc sequantur varia morborum mortiumque genera: & hoc aliquando absque ulla difficultate præstitisse improbi homines leguntur, quibus occultum nullum cum malis spiritibus commercium. Venenis sanè infectæ aquæ tetrum pestiferumque exhalare solent odorem, imo lethiferos prorsus vapores, qui ubi in sublime feruntur, partes aëris benè multas contagio fœdant, ut morbis non tantum sed & morte subitò corripiantur plurimi.

§. XIV. Deo permittente & Diabolo operam commodante Sagæ Neonymphis non rarò potentiam solvendi conjugale debitum adimunt, quæ impotentia sæpius mares, fœminas vix unquam adficere putatur. Hoc mali genus, quod aliis Ligatio seu nodus ligulæ dicitur, fit in dies & annos plures paucioresve, vel in totum tempus vitæ conjugum. Ad hanc ligationem ligulæ, adhibere solent herbas, lini grana quæ copulandorum vestibus die nuptiali inserunt, serarum etiam compressiones, ligulas confectas ex linteis seu sudariis quibus involuti mortui, serpentes sub liminibus defossos, & similes res ridiculas & absurdas, quæ per se nullo modo nocent hominibus. Quomodo autem inscii Sagis diabolus debiti conjugalis solutionem impediat, consule From. de Fascinat. lib. 3. part. 6. c. 18. pag. m. 856.

§. XV. Non dubitandum est, quin Magi Sagæque permissu Dei greges pecorum & jumentorũ possint macie deformare & perimere, vel si placuerit, tumoribus & morbis adfligere, unde miserè crucientur & pereant Hanc rem sic peragere creduntur: spargunt & ipsis affricant vel exhibent venenatas res, vel defodiunt sub via publica, perquam armenta pastum agi debent, vel ad stabulorum defodiunt limina serpentes aut bufones, nonnunquam etiam impense laudare solent pecudes & jumenta, quæ omnes res per se demtis venenis talem vim sibi insitam nequaquam habent. Diabolus autem, qui re vera expedit quod Magiæ dediti machinantur, res longè efficaciores adhibet in perniciem gregum, pecorum & jumentorum, licet easdem res a Dæmone adhibitas ignorent Magi atque Sagæ. Quin & frumenta aliorum & fructus aliorsum traducere possunt Striges, quod Illusor Diabolus ipsis non animadvertentibus præstare facilè potest. Sic Sagæ aliquando confessæ sunt se a rusticis, dum semina mandarent sulcis, maximam partem siliginis & adoris surripuisse. Præterea etiam agros steriles facere possunt & quaslibet fruges fructusque perdere, quod vel incantationibus diris præstant, vel etiam pulverem noxium a Dæmone acceptum in agros conjiciunt, vel spargunt per aëra, unde proveniunt erucæ, locustæ, bruchi & hujus generis vermiculi alii, qui corrodunt & absumunt baccas, segetes, gramina & sata omnis generis.

§. XVI. Diabolum per ministros suos naturales morbos, & eos qui hominibus per magicas artes immittuntur, curare posse in confesso est. Exactissimè quippe Dæmon humani corporis novit constitutionem, discrimina viresque herbarum in tollendis morbis idoneas, qualitates item omneis rerum naturalinm occultas & morbis contrarias, causas morborum abstrusas, & applicandi medicaminis modum omnium optimè novit, & sic medicinæ naturalis ope auferre potest spiritus & humores noxios, iisque sublatis ægros sanitati restituere. Superat verò ejus curandi industriã curatio putridarum partium & sphacelismo enectarũ, quas in solidum sanitati restituere nequit. Clientes ejus naturales morbos naturalibus remediis sanant, magica autem vi illatos rebus prorsus superstitiosis curant, verba, aliquando res, incantationes, cereas imagines, aliaq; non minus absurda adhibendo, quæ symbola sunt rerum inanium, & sanandi nullam

lam

lam habent efficaciam. Cæterum hi superstitiosi Morborum Curatores vix solent cuiquam morbum demere, nisi eundem in alium derivent, siquidem Diaboli malitia hæc est, ut plures attaminando pluribus se Magus obstringat flagitiis. Historias hac de re vide sis apud Freud. de Mag. Q. 209. Godelm. de Mag. lib. 1. cap. 8.

§. XVII. Possunt insuper Magi incantare serpentes, ut veneno quasi exuti ipsis, vel si placet aliis nullam adferant noxam, licet hæc incantatio verbis & characteribus non solum fiat, sed naturalibus etiam causis Diabolo apprimè cognitis. Incantari etiam solent canes, ut latrare nequeant, nedum aliquem mordere, & hac arte multi nocturnis furtis dediti haud dubiè utuntur. Præterea incantari possunt arma, ita ut gladii è vagina extrahi, vel extracti lædere, & bombardæ a funiculo ignito accendi, vel fortè accensæ globulos ad destinatum scopum ferre non possint. Accedit & hoc quod naves incantari queant, ut nulla vi ventorum, etiamsi secundis iis, velisq; passis pellantur, portu possint egredi: pari ratione molas incantant, ut nullo impetu ventorum allapsuve undarum trudantur circumaganturve. Quin & superstitiosi quidam Venatores incantare dicuntur feras, ut ad unum collectæ locum omnes venabulo perimantur. Huc referuntur Sagittarii illi, qui quot volunt aves & lepores jaculis globulisq; plumbeis conficiunt. Frequentissimum etiam incantationis genus est, quo homines sic incantantur, ut muti & elingves prorsus fiant. Sic quatuor milites per fenestram ad mulierem prædivitem irrumpentes incantarunt illam ipsam, ut loqui non posset, ulliusve vicini opem poscere; interea illi nebulones 1400 thaleros ex arca abstulere, quæ historia fusius narrata est a From. de fascinat. lib. 3. part. 4. pag. m. 559.

§. XVIII. Pro colophone paucis verbis perstringam nobilem illam scituque dignam Quæstionem, An Magi Sagæq; ventos, fulgura, tonitrua, imbres, grandines & glaciem producere possint? Magiæ addicti putant equidem se posse similia meteorologica sua vi suoque molimine excitare, quasi suo conatu, lebetibus, verbis, imprecationibus, dejerationibus, characteribus & adhibitis herbis, ubi quoties & quando placeat, tantas tempestates tantosq; in simpulo fluctus ciere valeant, quibus fruges & sata omnia, nec non gramina & arbores sæpe perdant ac aboleant, sed egregiè ab

Vetera-

Veteratore ac Magistro suo illuduntur. Quippe coctione aut ebullitione ulla, ullisque carminibus aut verbis, qualiacunque illa sint, res tantas non posse confici, quivis prudens rerum pensitator deprehendere facilè potest Unde non immerito a Seneca lib 4. Nat. Quæst. deridentur, qui solis incantationibus pluvias excitari & repelli ineptè statuunt. Interim tamen permissu Dei & auxilio Diaboli, qui Princeps aëris Eph. 2. v. 2. propterea dicitur, quod aërem turbet ac moveat, tales tempestates provocare possunt Magiæ dediti, licet eorum propria potestas & rerum quas adhibent efficacia nihil hic efficiant. Quippe Dæmon mille cuplus artifex κατ' ἐξοχὴν dictus, Sagis ejus occultum influxum ignorantibus, vapores ex humo assurgentes & per aëra dispersos ad frigidam aëris regionem summa velocitate congregare & miscere optimè novit, ubi postmodum frigore condensantur, & vel in aquæ guttulas, vel in nives, vel etiam in grandines resolvuntur. Sic ubi Magi terræ motus procurare volunt, Diabolus præsto est, qui magnos efficere potest terræ hiatus, ut animalia ibi locorum errantia facilè absorbeantur, licet Magi per fascinum diabolicum delusi suis ineptis mediis tales terræ motus adscribant. Item quum ventos, tonitrua, fulgera & glaciem producere cupiunt Ministri Satanæ, non longè abest ipse Dæmon, qui omnia effectui promovendo convenientia solerter ac ingenio se applicare potest. Historias de talium tempestatum excitatione habet Freudius de Mag. Q. 165.

SOLI DEO GLORIA.

